

ex quo summo, oleum quotidie habeatur. **ODORE VTI SCOBE CITREO.** Forte scribendum, odore uti scobis citreae, aut citreorum, id est odore ramentorum, siue scobis citreorum, quibus odor acerrimus, auctore Plinio lib. 15. cap. 28. Eius autem fontis meminit Auctor libelli de mirabilibus auditu, nam Aristotelis non esse, multis coniecturis possumus demonstrare. **BABYLONE LACVS AMPLISSIMA MAGNITVDINE, QVI ΔΙΜΝΗ ΑΨΦΑΛΤΙΣ** APPELLATUR, HABET SVpra NATANS LIQVIVDVM BITVMEN. Præter eum lacum qui in India à bitumine quod gignit, Asphaltites vocatur (α. σφαλτον enim bitumen Græci dicunt nam asphaltion lignum est odoris non insuavis quod seplasiariorum officinae sandalos vocant, utcumque Auicenna diuersis capitibus tradit de eis, ceu diuersæ sint res (Eum quidem certè reliqui Arabes imitati sunt) est & lacus in Babylonia Asphaltis nomine, è cuius bitumine & latere testaceo constructo muro Babylonem Semiramis cinxisse fertur. Babylonem scribunt Dionysius Afer de situ orbis, Strabo lib. 16. Diodorus Siculus lib. 3. Iustinus lib. 1. Ovid. Metamorph. 4. Solinus cap. 30. à Semiramide primùm constructam, at Berofus Chaldæus tradit Belum, secundum Assyriorum Regem fundamenta Babylonicæ oppidi magis quam urbis fecisse, postea Semiramidem urbem fecisse. De bitumine & muris Babylonis mentio est apud Dionem in Vlpio Traiano. **LIQVIVDVM BITVMEN.** Bitumen vocant quicquid est lentum & molli-

tie